



VValanus eruditione & pietate apud Rauracos in magno pretio extitit. Itaq; dum Carolomannus cum rege suo Childeberto Rheni tractum multis Ecclesijs ornatū ubiq; decorare statuissent, etiam Basileę Episcopatum instituerunt, atq; eum multis priuilegijs exornarunt. In eo loco hunc Vualanum primum præsulem ob uirtutes constituerunt, anno Christi circiter septingentesimum quadagesimum secundum, cum Zacharias Romanam Ecclesiam administraret. Sūt quidam ex antiquis scriptoribus, qui S. Pāthalam eius loci Episcopum ante 500. annos statuerūt. præterea cum Clodoueus Francorum rex Anno 505.

Aurelijs Concilium celebraret, Adelphius Rauracensis episcopus interfuit, & subscripsit. Verū ijs temporibus ecclesiarū antistites sua parrochia contenti, magis officium quā dignitatem respiciebant, nec dum tot prædijs & opibus ditati erant. Fieri etiam potest, ut à Hunnis, Gothis, & Alemannis Basiliensis Ecclesia uastata, nomen cum dignitate Episcopali ad tempus amiserit, donec tandem Carolomannus & Pipinus rex eius filius collapsas Ecclesias restaurarent, atque ut se gratum Clero declararent (cuius beneficio regnum Galliaę obtinuerant) multis bonis & priuilegijs decorarent. Itaq; Vualanus eam functionem diligenter administrauit, atq; Bizontino Archipræsuli subiectus sese primum Basiliensem Episcopum uocauit, cum alij à circumiecta regione Rauraci dicerētur. Vt autem eius successores intelligamus, eos ordine subiiciemus.